Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2371
Quelle:
Copyright:

Ecce noſtra ſtudia uotiue ſunt completa.
Ipſi laus et gloria quem nulla claudit meta.

Explicit Amoris ſpeculum. Autor mihi ignotus, qui *Speculorum* et *Speculatorum* numerum auget, quorum Catalogum texere ſiquis aggrederetur, non ingratam Literatoribus operam locaret.

DCXXI.

468 Codex partim chartaceus, partim membraneus lat. Sec. XV. Folior. 170. 4. rubricis diſtinctus continet ſequentia: I. *Celidonei doctoris Librum de Preſagiis multorum auizamentorum*, ut e calce praeoccupo. Artem grammaticam *Celidonii*, *Celdonii* ſeu *Cledonii Rom.* Collectioni ſuae inſeruit *El. Putſchius* ad *pag.* 1856. Hunc *Celidonium* eundem putat *Paul. Colomeſius* in not. ad *Lil. Greg. Gyraldum de Poetis* edit. *Lugd.* 1696. p. 295. cum *Sidonio Gram.* quodam, cujus Fragmentum *de Vocibus Animantium* erat inter Schedas *M. Zuer. Boxhornii*, ut ipſe ad *Plautum* edit. 1645. p. 565. teſtatur, quamvis non incredibile videri queat, Librariorum imperitia *Aelium Donatum* metamorphoſin in *Celidonium* ſubiiſſe. Ut ut ſit, ab hoc certe diverſus Noſter aut ab *Hirundine* (Χελιδων) aut a *Coeli Donis*, quod malim, nomen ſibi finxit; pietatis enim et morum Praecepta omni Hominum conditioni opportuna barbaro tamen ſtilo, et rhythmis ſat hiulcis depromit. En initium:

Compilaui librum de auizamentis
In trono iudicis conſedentis
In laudem ihesu ſuaui omnipotentis
Ut quiuis in ſuis fracturis ſit auizatus
Et a ſpiritu docibili ſit compulſatus
Nam tytulus libri eſt de preſagijs auizamentorum
Nullus maledicit libro niſi ſit de numero dampnandorum &c.

Capita in univerſum cenſentur L. quorum Summaria ad calcem adjecta ſunt. Multa in iis de Sacerdotibus ſimoniacis, de Concubinariis, Quaeſtuariis &c. *Caput* 28. agit *de Fraternitate Leproſorum*, ubi inter alia:

Veriſſima leproſia prouenit ex nimia luxuria
Et ex frigiditate dicit Roſarius in medicina
Leproſus facit leproſum in ſimili complexione &c.

quae